









1742.

1. <sup>Ecclesiastico</sup> W. Crellus Georgius: De principis successore  
domus aulicis sive cameraria ob antecessore alienata,  
paris ordine servato, revocante.
2. Kaulfuss, Iacobus Christianus: De carcere dictiorum  
poenam criminis temperante.
3. Lamm, Iacobus Georgius: Dissertatio justiciae in ang., qua  
observationes miscellae . . . placide emitorum  
Dissertationem submittit.
4. Schorck, Hieronymus Fridericus, Fac. iur. dicte decanus:  
1. b.s. (ad Dissertationem in ang. Hieronymi Gottliebi  
Jacobi invitati).
5. Schmette, Henricus Melchior, Facult. iur. dicte decanus:  
1. b.s. (ad Dissertationem in ang. Iacobi Christiani  
Kaulfussi invitati).
6. Schmette, Henricus Melchior, Facult. iur. dicte decanus.  
1. b.s. (ad Dissertationem in ang. Henrici Charles. Baernei  
invitatis).



7. Schmette, Henricus Melchior, Facult. iur. dicatus decanus : 5.  
l. b. s. p. d. (ad Dissertationem in ag. Ioannis  
Georgii Lammii invitata).

8. Schmette, Henricus Melchior : De collisione obligatio - 6.  
num.

1743.

1<sup>a</sup> Cramerus, Joannes Fabius : Deco, quo justum  
miserere circa appellationem a statibus imperii 7.  
Evangelicis ad imperatorem in causis Peccatiad-

1<sup>c</sup> heiz 2 Sept 1743 in 1750  
Luhn, Burkhard Bidoren Rupelius : Reichenbaris et decanoribus  
2. Schmette, Henricus Melchior, Facult. iur. decanus  
nus l. b. s. p. d. (ad Dissertationem in ag. Berth.  
Frid. Ruperti Lanckii invitata). 8.

3. Schmette, Henricus Melchior l. b. s. p. d. (ad Dissertationem  
in ag. Ernesti Friderici Schellbergii invitata).

4. Schmette, Henricus Melchior : Deco quo justum est,  
circa vindictam rerum futurarum. 9.

5. Stroeker, Cons. Wilhelmi, Facult. iurisprud. decanus:

ad . . . Dissertationem in ang. (Ex parte Henrici Rudolfi)  
in stat.

6. Stroeker, Cons. Wilhelmi, Facult. iurisprud. decanus:

ad . . . Dissertationem in ang. (Fons' Tob.  
Camerij) in stat.

7. Stroeker, Cons. Wilhelmi, Facult. iurisprud. decanus:

ad . . . ad . . . Dissertationem in ang. (Dordis Theatoni  
Harenmanni) in stat.

8. Stroeker, Cons. Wilhelmi: De testamento peracto  
volenti, praescribit scripto, vice clauso . . .

9. Stroeker, Cons. Wilh.: De con- et inconvenientia iuri  
Romani et statalarii' effectoris in materia succes-  
soris conjugum ab intestato.

to.



1789.

1. Schorch, Hieron. Historicus; Facult. iuris 1<sup>o</sup> decanus l. b.  
(ad dissertationem in ang. Adam. Goetringii iur. lat.).
2. Schorchius, Hieron. Historicus: De eo, quod iustum est  
civica remissione prisca de pretio habita.
3. Schorchius, Hieronymus Historicus: De limitibus superioritatis  
territoriales secundum leges fundamentales imperii.
4. Stoecker, Cons. Wilhelmus, Facult. iuris 1<sup>o</sup> decanus: . . . 9.  
ad . . . Dissertationen in ang. Pauli. Gottfr. Rostinga  
. . . iur. lat.
5. Stoecker, Cons. Wilhelmus, Facult. iuris 1<sup>o</sup> decanus: . . . ad 50  
. . . Dissertationen in ang. (Matthaei) Benjamini Zin  
mermannij iur. lat.
6. Stoecker, Cons. Wilhelmus, Facult. iuris 1<sup>o</sup> decanus: . . .  
ad . . . Dissertationen in ang. (Zamnius 1780) . . . iur. Lat.

1744

7. Streckler, Cons. W. d. c. Facult. iurisprud. decanus  
 dissertationem in any (Iacobi Christophori  
 Wernerii) iur. iustit.

8. Streckler, Cons. W. c. De observationibus quibusdam  
 forensibus circa resignationem nomine...

9. Werner, Iacobus Christoh: De invaliditate disposi-  
 tio-  
 tinga bivis inter viros uxoris circa res geranicas, neglecto  
 mariti consentia..

ad 10. Zimmermanus, Mathaeus Benjamin: Dissertation  
 in any. iurisprud. que vicariatum sacri imperii Romano-  
 nico - Romani, ex - Archi - officio. . . dist. L.





P 161

8

Pub. 13. nunc. 28. S. P. XVI  
1742. la. P. R. 17

DISSERTATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA

DE  
**PRINCIPIS SVCCES-**  
**SORE DOMANIALIA SIVE**  
**CAMERALIA AB ANTECES-**  
**SORE ALIENATA, JVRIS**  
**ORDINE SERVATO,**  
**REVOCANTE,**

QVAM  
IN ILLVSTRI ET PERANTIQVA VNIVERSITATE  
ELECTORALI HIERANA,

**SVB PRÆSIDIO ALTISSIMI,**  
CONSENSV

**ILLVSTRIS FACVLTATIS**  
**JVRIDICÆ**

PRO CONSEQUENDIS IN VTROQVE JVRE  
PRIVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS  
DOCTORALIBVS

IN AUDITORIO JCTORVM MAJOR

D. XVII. MARTII A. MDCCXLII.

PUBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITT

KENFRIED  
UNIVERS.  
ZV HALLE

AVTOR

**WILHELM GOTTLIEB JACOBS,**  
GOTHANVS.

ERFORDIAE, Typis HERINGII, Acad. Typogr.



SERENISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO,  
DOMINO  
**FRIDERICO III.**  
DVCI SAXONIÆ,

JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIÆ  
ET WESTPHALIAE, LANDGRAVIO THVRIN-  
GIÆ, MARGGRAVIO MISNIAE, COMITI PRIN-  
CIPALI DIGNITATE HENNEBERGICO, COMITI  
DE MARCA ET RAVENSBURG, DYNASTÆ  
IN RAVENSTEIN ET  
TONNA,

PRINCIPI AC DOMINO SVO  
CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME PRINCEPS,  
DVX CLEMENTISSIME,

**T**Emeritatis non minus ac audaciæ notam, me  
incursum, facile crederem, quod occasione,  
qua summos in utroque Jure honores ambo,  
utar, ac solium TVVM supplex accedens,  
theses meas inaugurales subiectissima mentis  
devotione, TIBI SERENISSIME PRINCEPS offeram,  
nisi mihi hæc subodoranti ac cogitanti in mentem subi-  
ret, clementia singularis, ac nullis sat deprædicanda laudi-  
bus, qua olim SĒRENISSIMA DOMVS SAXO-GO-  
THANA avum ac Parentem meum mirum in modum  
est prosecuta. Hinc spes mihi affulget, fore, ut conatum  
meum

meum meliorem in partem interpretaturus, me a conspectu TVO SERENISSIMO non dimittas tristem, in qua falli, tantum abest, ut existimem, quantum constat maximus, quo subditos demulcere soles, amor, illorumque conatus promovendi, immortalis ardor, & quod primo loco nuncupandum fuisse, corundem salutem curandi studium nullis alienis curis interrumpendum, inter omnes siquidem Europæ Gentes constat, felicitate subditorum TIBI SERENISSIME PRINCEPS, DVX CLEMENTISSIME nihil esse prius, nihilque antiquius, quod etiam monumenta æternitatem latura, satis superque loquuntur. Hanc ob causam eodem, quo olim Imperatorem TRAJANVM elogio corruscasse scimus, merito etiam eris afficiendus, ac AMOR ET DELICIAE GENERIS HVMANI ob ingentia tam in Sacrum Romanum Imperium quam etiam in provincias SERENITATI TVÆ subiectas, merita, eris dicendus, a quibus recensendis eo magis hic abstineo, quo magis numerum illorum inire, vires meas longe superare agnoscō, sufficit, hoc ipso factum fuisse, ut universa, qua patet, Europa, TE PRINCIPEM PER OMNIA MAXIMVM esse, convicta fuerit. Hoc unicum igitur impræsentiarum saltim in votis habeo, ut levidenses hasce Theses (ejusmodi causam concernentes, quæ etiam Magnis Principibus curæ cordique esse solet, & de qua conser-

vanda

vanda omnem movent lapidem) ea clementia suscias,  
quæ propria SERENISSIMO PECTORI TVO est, &  
ut publicam obsequii humillimi tesseram respicias, me-  
que clementiæ TVÆ SERENISSIMÆ radiis refocilla-  
tum erigas. Quibus impetratis, uti haetenus consue-  
vi, sempiterhas ad Deum fundam preces, ut TE SERE-  
NISSIMVM DVCEM AC PATREM PATRIÆ CLE-  
MENTISSIMVM, ut SVMMÆ VIRTUTIS IN-  
GENS, DVLCISSIONVMque SPECTACVLVM, in  
Nestoreos, quos vere meteris annos salvum & inco-  
lumem servet, simul vovens, ut vivas AVGUSTO feli-  
cior, & TRAJANO melior, ac clementia TVA SE-  
RENISSIMA non dedigneris

**SERENISSIMI NOMINIS  
TVI**

*Subditorum infimum & devi-  
tissimum*

**GWILIELMV M GOTTLIEBIV M JACOB.**



DISSERTATIONIS  
DE  
PRINCIPIS SVCCESORE  
DOMANIALIA SIVE CAMERALIA  
AB ANTECESSORE ALIENATA,  
JVRIS ORDINE SERVATO,  
REVOCANTE.

§. I.

**P**rincipis vocabulum est πρίγκιπας. In generaliori significatu designat eam personam, penes quam est summum & independens in civitate imperium. In legibus Romanis principis nomen propriè Imperatori soli competit, atque is ea adpellatione denotari solet. *I. Princeps ff. de L.L. l. i. Et tot. tit. de const. Princip. s. sed Et quod Inst. de J. N. G. Et C.* Nam JV-LIVS CÆSAR cunctis discordiis civilibus fessis, tanquam in præmium civilium bellorum perfectorum,

A

sub

sub principis nomine totius Reipublicæ jus, potestatem, ac Imperium, quod ab initio Regum, post Magistratum, senatus ac populi fuerat, accepit, & in perpetuum ad successores transtulit. ONVPHR. PANVIN. *de origine Imperatorum Romanorum Libr. 1.* In nostro Imperio Romano-Germanico eminenter tribuitur Imperatori, & adhuc hodie præmitti solet Principis nomen in titulo Imperatoris, ac litteræ ita inscribi solent. **Dem Allerdurchlauchtigstem, Großmächtigstem und Unüberwindlichstem Fürsten und Herrn &c. &c. vi-**  
**TRIAR. Instit. Jur. publ. L. 1. tit. 15.** In significatu famosiōri & stricōri vox Princeps designat statum Imperii, qui de Principatu est investitus. Latiori sensu denotat statum Imperii, qui nec est in numero Electorum, (non quod hi Principes non sint, sed quod peculiarem classem in statuum distributione constituant,) nec civitatum. Hoc significatu dicitur **der Fürsten-**  
**Rath,** Collegium Principum, non Electorum. Aliquando istud vocabulum ita generaliter sumitur, ut Imperatorem, Duces, Electores, Marchiones, Principes, Comites & Barones Imperii, & similem majorum feudorum dignitatem habentes, comprehendat, nec civitates Imperii liberas, quee in comitiis tertium Collegium constituunt, excludat. Jamdudum enim monstravit KNIPSCHILD *de jure Civit. Imp. L. 2. c. 4. n. 17. seq.* his civitatibus eandem ac Principibus competere potestatem, licet ea non dicatur **die Landes-Fürstliche Hoheit.** Multo magis Principis nomen tam Ecclesiasticos, quam Seculares comprehendit, cum & illi ratione Principatum & ditionum amplissimarum Principibus

bus annumerentur, cum tantis honoribus ab Imperio  
cumulati, ut potentissimorum Imperii Principum opes  
& potentiam, si non superare, facile tamen æquare  
possint, testantur HEIG. P. I. Qu. 4. n. 52.

## §. II.

Principes, Duces, & similes Imperii Status dupli-  
cia solent habere bona, seu duplex patrimonium, al-  
terum privatum, quod absolute patrimonium sive bo-  
num patrimoniale dicitur, quod ex hæreditate aut alio  
jure proprio ratione personæ ut privatus possidet, &  
habet, quibus olim præficebatur procurator Cæsaris  
*L. i. ff. de off. Procurat. Cæs.* nec non comes rerum pri-  
vatarum. WESENBE. ff. §. 4. & de Off. Com. rer. priv.  
THOLOS. de Rep. L. 3. c. 2. Ideoque prædia privata  
Principis à Reipublicæ prædiis sejuncta & utriusque  
procuratores singulos ab ipsis Imperatoribus constitu-  
tos, habent testante BODIN. *L. i. de Rep.* & alius igitur  
fiscus Cæsaris, aliud Reipublicæ ærarium, alius Cæsa-  
ris, aliud fisci Imperatorii procurator, alli comites sa-  
crarum largitionum, alli rerum privatarum. JVN. BRV-  
TVS in vindictis contra Tyrann. qu. 3. alterum publicum  
& fiscale, quod scilicet Rex, Princeps, Dux, ex suo ter-  
ritorio habet, aut quod occasione dignitatis accepit,  
vulgo Hand-Gelder, Chatoul-Gelder, Chatoul-Memter,  
atque omne id, quod Princeps vel ex suis vel ex rediti-  
bus Reipublicæ consuetis & ordinariis acquisivit, sive  
res mobiles sive immobiles, eæque tales vel natu-  
raliter vel civiliter. Si enim nobilis Princeps factus, &  
quidem ex nobilitate non inope, sed ampla & opulenta,  
propterea sua bona prædiaque nec quicquam amisit,

sed retinuit conservavitque, & Principes, qui absunt à cultu nimii adparatus & elegantiae curialis, non confundunt Principatus redditus, ut vel indigentē Reipublicā atquē subditis mutuo dare, vel etiam bona immobilia acquirere possint, hæc omnia sine dubio ad proprium Principis patrimonium sunt referenda,

## §. III.

Res, quæ ad Principem ut talem pertinent, item sunt in dupli differentia, quædam enim quoad proprietatem pertinent ad Principatum & dignitatem, quædam solum ad Cameram Principis ejusque vitam, supportandaque Reipublicā onera destinata sunt, quarum fructus in Regis, Reginæque vel Principis mensæ expensas necessarias pertinent & vocantur DOMANIVM, sive DOMANIVM Regis vel Principis, sive de corona, sive de mensa Principis vulgo Cammer-Güter oder Læsel-Güter, dicitur Domanium à Dominio, & quidem ceu SPRINGEFELDIVS de Apanagiis C. 8. §. 28. loquitur, quod bona Domanalia semper per anticos Reges vel Principes sub eorum dominio retenta fuerint, & nunquam alis concedi consueverint. Erant namque ab initio in qualibet fere Republica, bona publica usibus publicis destinata, eorumque provenibus contenti Principes vivebant, nec subditi subditos gravabant &c. Alii vero, inter quos est GERHARDIVS VOSSIVS Lib. 3. c. 8. de vitiis sermonis & Glossematis Latino-Barbaris hanc vocem à Gallico vocabulo Domaine descendere arbitrantur. Verum petitio principii hic subest, quæritur enim, annon ipsa Gallorum appellatio Domaine à Dominio descendant? Quædam vero non spectant ad Domanium, ut bona vacan-

vacantia, quæ fisco deferuntur, aut quæ ex crimine perduellionis ad principem devolvuntur, vel alia causa, quæ si non incorporentur domino, origine quidem fiscalia sunt, sed postea sint proprium Regis vel Principis patrimonium. HUGO GROTIUS de Jur. pac. & bell. cap. 6. n. 12. FERDIN. VASQ. de Success. creat. L. 3. §. 26. n. 84. & 85. ANDR. KNICHEN de Saxon. non provocandi jure ad verba ducum Saxon. cap. 7. n. 3. & 4. MYNS. dec. 12. resp. 4. n. 6.

## §. IV.

Sunt quidem nonnulli, qui DOMANIALIA nomina juraque in Germanicis principatibus rident explodunt tolluntque, habentes illa pro partu juris peregrini, quo ipso id videntur largiri, quod Principis bona omnia illius sint propria & patrimonialia, quæ is forte à Cæsare acceperit, nulla vero, quæ ususfructus cuiusdam jure accepta referat ordinibus provinciæ Reique-publicæ. In prima opinione est L. B. de LYNCKER in dec. 1202. ibid. Von eigentlichen Domainen-Gütern weiß man in Deutschland nichts. Es wären solche theils von Franzosen, theils Niederländern aufgebracht worden. In Teutschland hätte man sich iederzeit allein mit Cammer-Gütern, und in Stiftern mit Tisch-Gütern vergnügen lassen. Die Hof-Leute möchten wohl zum Nutzen ihres Herrn davon reden, aber wer mit der Justiz zu thun, dürfste davon nicht sprechen. In qua sententia etiam est REN. CHOPPIN. Lib. I. de Dom. Fr. t. 3. Nos vero aperte sentiamus domania-  
lum bonorum vigorem, nomina ac jura in Germanicis principatibus longe clariora esse, quam vel apud Gallos

los vel Belgas. Res enim post Carolingorum ævum satis cognita & Principatibus Germaniæ omnibus tam sacris quam civilibus solennissima, quod ordines cuiusvis provinciæ domino territorii, quem fecerant, bona adsignaverint ad viatum & cultum nominibus sacra in Germania natis des Herren Tisch-Güter, Tafel Güter, Herrschaftliche Aemter, Cammer Güter, Herrschaftliche Stücke. Ex innumeris locis medii ævi laudamus unicum ab Henrico Leone anno 1170. his conceptum verbis: HENRICVS Bojonie & Saxonie Dux. Notum facimus, quod pro remedio animæ nostræ ad propagandam Christianam religionem in terra Sclavorum Transalbina in loco honoris & vastæ solitudinis tres Episcopatus construximus, ALLODIIS, REDITIBVS, MENSÆ NOSTRÆ dotavimus, insuper ea, quam gladio & areu nostro quaesivimus, hereditate ampliavimus &c. Quodsi ergo dominus territorii quilibet in Germania mensalia habuit, sive dominica prædia, pro his certe ubivis sunt conjecturæ.

## §. V.

Sic etiam illorum sententia nobis non placet, qui statuunt, quod Cameralia f. Domanalia bona Principum Germaniæ veræ donationes & gratiae sint Imperatoris, uti autor responsi FRITSCHIO collectore quarto loco editi n. 7. p. 57. in verb. Das Ihs Fürstl. Gnaden Lande dem gemeinen Russ nach lauter Gnaden-Lehn, und ihr dergestalt von Kaiserl. Majestät und dem Römischen Reiche zugeeignet, daß sie davor sich und ihre Hoffstadt hinbringen, nicht aber alieniren, oder sonstens verschwenden sollen, siquidem historicis rerum Germanicarum non ignotum, quod Carolingica stirpe extincta

extincta inter sex Germaniae populos quilibet sibi fecerit ducent, eique adsignaverit domania, post demum factum sit, ut unanimi concensu territoria in feudum offerrentur Imperatori Henrico auctui, neque ideo de Germanicis Imperatoribus dicendum, quod ulla unquam tempore illi omnia Germanica praedia possederint; illaque post instar gratiarum distribuerint, & militibus, landsassiis, & ipsis Ducibus territorialibus, quales divitias non haberunt, quibus tamen opus fuisset, si Principum bona vere dici deberent Cæsaris gratiae. Nostræ vero opinioni se confirmare videtur, quod in responso habet FRANZKIUS apud STRVVIVM c. 14. §. 29. in verb. *Dass es dem Deutschen Herkommen gemäß, dass Reichs-Fürsten, wenn sie ihre Aemter versetzen, oder etwas aufs Land nehmen wolten, Kayserlichen Consens auszubringen, nicht vor nöthig erachteten.* Qui consensus Imperatoris tamen requireretur, si principum domania essent Cæsaris gratiae, cum tamen notum, quod tantum urgeatur ordinum consensus ad illorum validam alienationem, quia illorum, quid hic fiat, interest maxime.

## §. VI.

Sunt igitur Domanialia, quæ jure Imperii superiori concessa & Principis dignitati consecrata & unita sunt, quæ deputata ad vivere Principum, seu patrimonium populi est, cuius fructus destinati sunt, ad sustinenda Reipublicæ aut Principis dignitatis onera juxta HVG. GROT. L. 2. de Jur. pac. & belli. cap. 6. n. 11. quæ nulli subjecta, nisi Principi, ejusque Principatui MENOCHIUS Cons. 426. n. 7. Hic etiam referenda sunt ad domania,

mania, quando res solita infeudari, redeat ad Principem, & uniatur cum aliis rebus dominalibus. Talis enim res incorporata non amplius dicitur consuetā infeudari, sed quia ad Principem devoluta, & aliis non iterum concessa, sed relicta, dicitur Domanium, eo, quod ab ipso Principe domanio incorporata sit: Nam nihil interest, utrum domania sint primaria, an vero juris accessori, quia Princeps terram aliquam domanialem facere potest. arg. L. 8. ibi: *divorum retro Principum sandionibus limiti deputatos fundos patrimoniales C. de fundis patrimonialibus L. ult. ibi: seu quolibet titulo res fuerit fiscalis C. de petit. bonor sublat. L. ult. ibi loca ad sacrum dominium pertinentia.* ROSENTHAL de feud. cap. 4. concl. 34. siquidem augmentum domanii & accessorium secundum naturam principalis judicandum in l. 18. §. 1. ff. de pignorat. action. CLAVD. SEYSEL in spec. feudor. in tit. qui feudum dare possint. p. 126.

### §. VII.

Demonstrato patrimonio Principis tam publico quam privato, juxta thema nostrum est inquirendum, quænam bona ex patrimonio Principis ita valide alienari vel donari possunt, ut ab ejus successore sive sit filius, sive agnatus revocari nequeant. Privatarum igitur rerum & earum fiscalium, quæ pleno jure ad Principem devolvuntur, ut sunt fructus jurisditionis domiorum, & omnium aliorum reddituum regalium, & quæ ex perduellium vel sine hærede defunctorum bonis, ad eum devolvuntur, bonorum indignorum, vestigalium, & tributorum redditus alienationem & donationem validam esse, nullum dubium remanet. Miserrima

ma

ma enim alias esset conditio Principum, si nec inter vi-  
vos donare, nec in testamento legare, nec de rebus suis  
disponere possent, cum tamen quilibet privatus rei suæ  
sit moderator & arbiter. *L. 14. C. de contrab. emt.* Prin-  
cipibus vero potestas & major libertas competit in do-  
nando, vel alio modo alienando quam privatis. *arg. L.*  
*26. C. de don. inter virum & uxorem.* Principes enim in  
territoriis suis quoad administrationem & alienationem  
omnia in sua potestate habent *c. 21. caus. 23. que. l. 8. L.*  
*9. ff. de lege Rhodia & l. 3. post pr. C. de quadrienn. pre-*  
*script.* Hinc etiam contractus Principum vim legis ha-  
bere dicuntur *d. l. 26. C. de donat. inter virum & uxorem.*  
Eo enim ipso, quo sunt in patrimonio Principis subjici-  
ciuntur horum commercio, quia in hoc litera eorum  
characteristica residet. Quamvis vero Principes in  
contractibus suis ut privati spectentur, eos tamen pri-  
vatorum juri, uti juri Romano non subesse, quia cum  
imperant conditio simul in iis concurrat, nullam le-  
gum humanarum, sed tantum divinarum in dijudicandis  
eorum actionibus autoritatem esse, inde consequitur.  
Plane sicut Imperatorem propter affectiones  
summi Imperii etiam tum, quando contrahit, legibus  
humanis solutum esse; ita itidem ex eadem ratione de  
Statibus imperii asserendum erit, de quibus tritum illud  
invaluit, plus valere status in Territorii suis, quam Im-  
peratorem in imperio, & quamvis Principes imperii  
summis Tribunalibus subjecti, quorum judices ex pre-  
scripto juris communis etiam romani judicant, exinde  
tamen non sequitur, quod moralitas contractuum vel  
pactorum à Principe initiorum ex jure Romano metien-  
da

da sit, sed potius dicendum de validitate & invaliditate  
contra<sup>t</sup>actus, super quo controversia forte exorta, & ad  
judicia imperii delata, ex propriis principiis, jure vide-  
licet naturali vel Germanico in primis publico judican-  
dum & si de ea legitime constituerit, principem paciscent-  
tem vel ad servandum pa<sup>c</sup>tum cogendum, vel ab obli-  
gatione absolvendum esse.

## §. VIII.

Verum illarum rerum fiscalium, quae in domanio  
sunt, vel quae in patrimonio principatus & reipublicae,  
alienatio vel donatio principi non est licita & permissa,  
hinc obligatio, quae ex istiusmodi alienatione erit alle-  
ganda, ne quidem aliqua rescissione opus habet, cum  
ipso jure sit nulla, quae sententia communi Doctorum  
schola approbata HVGO GROT. Lib. 2. de jure belli & pa-  
cis cap. 6. n. 11. PVFFENDORF de Jur. Nat. & Gent. L. 8.  
C. 5. §. 11. CVJAC. in cap. intellect. 33. X. de jurejurando,  
ubi hanc regulam generalem omnium regnorum cum ipsis  
regnis natam & quasi jus gentium esse ait CLAPMAR de ar-  
canis verumpublicar. L. 5. cap. 12. ubi hanc communem  
I<sup>C</sup>torum sententiam esse dicit PRVCKMAN in §. solita  
potestas cap. 4. membr. 2. eff. 7. n. 52. ROSENTHAL de feud.  
p. 3. concl. 21. n. 5. Rationes urgentissimae consistunt in  
sequentibus. Prima, quod nemo possit alienare cum  
effectu, nisi sit dominus, tot. Tit. C. de rebus alienis non  
alienandis. Satis enim absurdum esset & irrationaliter,  
rem quam quis suis bonis pure non possidet, ad alios  
posse transferre per reg. l. fin. §. 2. vers. quia satis absur-  
dum. C. commun. de legat. Jam vero rei domanialis in  
veritate Princeps dominus non est, sed quasi dominus, &  
res

res fiscales sunt ipsi quasi propriæ. l. 2. §. 4. ff. ne quid in  
*loco publico.* MYSING. dec. 12. resp. 4. n. 4. Unde etiam  
dicitur, non quod omnia Principis sint, sed quod ejus  
intelligantur scilicet quoad imperium, non vero domi-  
nium, vel quoad jurisdictionem & protectionem, sicut  
tutor rerum pupilli & maritus dotis. Jam autem in-  
star dotis principi concessa sunt ista bona, ut onera pu-  
blica inde commodius ferat. arg. L. 7. §. 3. ff. de jur. dot.  
l. pro oneribus C. de dot. REICH. de invest. pac. p. III. c. 2.  
n. 82. LABEDO Dec. 4. n. 16. p. 2. unde THOLOS. L. 3. de  
rep. c. 2. bona ista dotalitiorum instar post inaugura-  
tionem veluti desponsationem, ipso Principis jure ac titu-  
lo Augustæ Majestatis non tanquam Titio aut Friderico  
obvenire afferit, ut ex illis tanquam certis, quotidiani  
sumptus fierent in ordinaria negotia, quæ tum Princi-  
pem tum Rempublicam respiciunt, utpote in stipendia  
aulicorum officiorum, Magistratum, ac similiūm im-  
pendenda, hujus vero distractione Respublica ipsa &  
principatus & Princeps denique ipse perit, quia tandem  
lege dotem istam alienare licebit? Præprimis si haec  
alienatio tendat in extremam ruinam & paupertatem  
Reipublicæ CASP. KLOCK de conrib. c. 7. n. 60. ibique  
plures citati WESENB. conf. 45. n. 11. 16. id. KLOCK c. 8.  
n. 92. seqq. Rec. Imper. de anno 1502. Nach dem Chur-  
fürstl. vid. tamen WERNHERR. vol. 7. in supplem. nov. ad  
p. 5. pag. 622. seqq. Unde Domanium coronæ Galliae  
comparari conuevit tunicae insutili salvatoris nostri,  
quæ non fuit divisa, ut ex BACG. refert LINN. in Not.  
regu. Fr. L. 2. c. 8. l. 13. L. B. B.

## §. IX.

Deinde Princeps est usufructarius principatus,

B 2

doma-

domania vero sunt ipsius dignitati propria, & ideo Princeps tantum administrator domanii est, non dominus. WESENB. *Cons. 148. n. 194.* ideoque domania inseparabilia sunt ab ipsa re scilicet Republica cui semel addicta sunt, sed cum hac qualitate transiverunt in principem alienatorem, administratoribus vero administrandi potestas permissa est non alienandi *L. 28. §. 2. de paet. l. 1. §. 1. ff. de off. procur. cas.* Princeps autem constitutus ad hoc, non ut diminuat, rem & alienet, sed ut bene administret & custodiat, ANTON. FABER in *ratio-*  
*nal. ad l. 37. ff. de paet.* neque jus Reipublicæ passionibus mutari potest *l. 2. §. 8. ff. de adminisfr. rerum ad civi-*  
*tatem pertinentium. l. 13. C. de test. ordinandis.* Quemadmodum igitur viro prohibita est alienatio rerum dotalium, licet dominus censeatur, & patri alienatio & oppignoratio bonorum adventiorum liberorum interdicta, ita etiam Principi alienatio rerum dominalium, quae in patrimonio Reipublicæ sunt, & separato existunt à privato patrimonio Principis interdicta *LVCAS DE PENNA in l. 7. C. de omni agr. desert.* *Lib. 2. n. 8.* quin immo si testari non possit de dominalibus, quod est favorable & pium, quanto minus donare s. alienare potest per contractum, qui non est ita favorabilis juxta *NÆVIT. cons. 12. n. 14.* quia principatus fuerunt introducti de jure gentium non solum ipsis, qui tunc aderant, sed & pro eorum posteris, quibus male provisum eset, si liceret unicuique Principi pro tempore alienare jura principatus: siquidem præsentium tantum rerum non etiam post mortem gerendarum administrationem habet. *C. 2. X. de donat.*

§. X.

## S. X.

Secunda ratio desumitur à Papa, cui non licet prædium ecclesiæ alienare aliquo modo pro necessitate, nec in usumfructum rura dare, ita ut venditor honorem perdat, qui subscripterit, anatema sit, cum eo, qui dedit vel recepit, nisi restituantur, ut habetur in C. non licet PAPÆ 20. Caus. 12. qu. 2. Exinde etiam infertur, quod nec Principi illud in suo principatu erit licitum, quia non videtur Rex sive Princeps majorem potestatem habere in bonis domianilibus, quam Papa, qui habet plenititudinem potestatis in bonis ecclesiæ Romanæ LVCAS DE PENNA in d. l. n. 20. sicuti etiam Episcoporum, Ducum, & Principum autoritas & potestas æquiparantur, & quod de uno decifum, etiam de altero intelligendum. WESENB. conf. 194. n. 20. Episcopus autem non potest donare rem ecclesiæ immobilem, ne quidem sub occasione beneficii collati, adeoque nec remuneratoriam donationem facere potest de immobili bus Texr. C. unico ibi, nihilque de prædiis ipsarum caus. 10. qu. 3. BRVNREM. in L. 4. C. de sacrosancta ecclesia. sed omnis alienatio ab eodem debet legitime revocari C. 9. de donat. C. si quis Presbyterorum 6. X. de rebus ecclesiæ non alienandis; ita & Princeps ipse aut successor potest & debet talem alienationem revocare. LVCAS DE PENNA in d. l. n. 14. quia neque Prælatus neque Princeps suo nomine aut ut privatæ personæ revocant, sed nomine officii: Cum vero ipse alienator debeat revocare & possit, multo magis poterit successor, qui nihil contraxit, quia alienatio & contractus est invalidus, aut forte inofficiosus, quo in casu ipsi heredi contra fa-

Etum defuncti venire permisum. C. 4. X. de rebus eccliae alienandis vel non. & C. 2. X. de precariis. l. 7. C. de agric. l. 38. ff. de soluto matrim. PINEL ad l. 1. C. de bonis p. 3. n. 83. JAC. ST. GEORG de feud. §. princeps quæst. an princeps obligetur, SCHRADER in tr. de feud. p. 4. c. l. n. 21. & ita ejusmodi bona revocare, & cameræ redintegrare valent. TIRAQVEL. de retract. lg. §. 26. gloss. 2. n. 6. in tantum, ut si alienatio titulo oneroſo facta, poffeffor abſque refuſione pretii ad reſtitutionem obligatus fit. p. L. 2. C. ne res dom. arg. l. 23. C. de R. V. nec hoc caſu potest dici fraudatus, qui cum Principe contraxit, quia ſcivit vel ſcire debuit, juris autoritate talem contractum improbari, & legem jam poſitam ſuper condiſionibus ejusmodi contraſtuum arg. l. qui funduntur §. ſervus ff. pro emtore. Immo poffeffor cum exceptio ne praefcriptionis fe tueri non potest l. 1. §. 3. C. ne rei dom. vel ſimpl. vind. temp. praſc. ſubmoveat. l. ult. C. de fundis patrimonial. arg. l. ult. C. de fund. Limitroph. quod multo magis in ſuccelforibus principatus obtinet, qui cum non potuerint, vivo antecelitore agere, adverſus eos nec potuit currere praefcriptio p. L. 1. 8. f. C. de animal. Except. STRYCK. de jur. Princ. Imp. allodiali. C. 2. n. 28. Vol. 1. Hall. add. COCCEJI in Jur. Controv. ad Tit. ff. de jure fisci p. 744. & seqq. Nisi forte fit praefcriptio immemorialis C. ſuper quibusdam 36. §. præt. X. de verb. signif. RECESS. IMPER. de ann. 1648. §. Wenn auch ein ausgezogener &c. in verbo über Menschen Gedachten, vide latet MYLER. in nomol. c. 17. 18. per tot. & in tract. de Princ. & Statib. Imp. l. 1. c. 33. per tot. §. 10. 11. Quamvis predicta limitatio fruſtranea videatur; ſi enim initii

tii memoria in contrarium non extat, possessor non tam ab immemoriali possessione rei domanialis tutus est, sed ideo, quia fiscus qualitatem domanialem non probavit, & quia alia, quam praesentis possessionis, non domanialis memoria non extat.

## §. XI.

Tertia ratio prohibitionis desumpta est à pacto, quod Principes in ingressu Principatus sui repromittere debeant, honorem & jura principatus illibata se servatueros, & nihil de territorio ejusque bonis in corporatis se separatueros. Jam vero si tale pactum inter Principes & proceres initio gubernationis interponitur, certe id servandum est; Nihil enim est, quod luce clariore præfulgeat in Principe, quam recta fides & constantia conventorum. ROLAND à VALLE Vol. 3. consil. 13. n. 53. CRAVETTA consil. 592. n. 55. GAIL. Lib. 2. obs. 55. n. 4. sic etiam Princeps eos contractus & conventiones vel Statuta servare tenetur, quæ eidem postea subjiciuntur, wenn sie ins Regiment treten. Quando autem pæcta & promissiones cum juris communis prohibitione concurrant, tunc extra omne dubium erit, quod tale pactum impedit translationem dominii, uti in præsenti casu. MENOCH. I. 9. consil. 815. n. 56. Nam vel sola legis prohibitio dominii translationem, impedit. I. 10. in pr. ff. de curat. Et furios. L. 5. C. de LL. & si concurrat prohibitio facta ab homine cum prohibitione legis, tunc etiam locum habet in casibus alias permisſis. I. 2. de usuc. pr. emtore Novell. 120. c. 9. ibidem: nisi sub hac conditione, possessiones aliqui eis dede-rint, ut nullo modo has alienent, hinc & Princeps, qui promisit

promisit se non alienaturum, ne quidem in casu alias  
permisso alienare potest, MENOCH. d. conf. 426. n. 31.  
Cardinal MANTICA tr. de tacitis & ambiguis convent. lib.  
25. tit. 5. n. 4.

## §. XII.

Eiusmodi alienationes etiam ob prohibitionem  
publicam & contra pacta familiæ in præjudicium suc-  
cessoris ipso jure invalidæ & nullæ sunt, nam pacta fa-  
miliarum illustrium inter Principes & comites Imperii  
in Germania uistata & recepta sunt, vigore quorum  
nemo sua bona ab avo forte accepta, neque testamen-  
to neque ulla alia ratione alienare potest extra fami-  
liam, quod omnibus viribus sustinendum est juxta tra-  
dita à GAILIO Lib. 2. obj. 126. n. 9. & obj. 127. n. 2. & 8.  
CASIVS lib. 2. conf. 1 per tot. ROSENTHAL de feud. c. 7.  
conclus. 25. n. 22. adeo ut filius etiam virtute talis vi pa-  
cti familiaris de non alienando, alienata à patre revoca-  
re possit. p. L. 96. §. 3. de Legal. 2. BOER dec. 12. n. 4.

## §. XIII.

Quarta ratio consistit in eo, quod alienatio doma-  
nialium sine consensu ordinum seu procerum non pos-  
sit valide procedere, sed horum consensus partim ex  
pactis partim ex jure communi requiratur pro forma  
ad hanc alienationem, deficiente vero hoc consensu  
actus alienationis ipso jure nullus erit. Omissio enim  
formæ etiam in minimo totum vitiat. Jam vero in  
imperio Romano notum, quod Princeps res arduas  
expedire non debeat, nisi ex consilio procerum. arg. C.  
1. de rebus ecclesiæ non alienandis in 610. SICHARDVS conf.  
feud. 6. n. 29. 30. seq. MENOCH d. conf. 426. n. 28. FRI-  
DER.

DER. PRVCKMANN in tr. de regal. §. soluta potestas c. 3.  
 n. 7. Ex eodem fundamento colligit STVCKIUS cons. 26.  
 n. 48. quod facta majoris momenti inficiis ordinibus  
 provinciae nec obligent rem publicam neque successo-  
 rem, idque exemplo Ducatus Brunsvicensis, quod ur-  
 get n. 187. Eundem ordinum consensum in obligatione  
 rerum majoris momenti necessarium esse dicit L. B. de  
 LYNCKER dec. 717. Hinc si ipse Princeps quid faciat isto  
 juris ordine prætermisso, non præsumitur id iuste fa-  
 cere posse, nisi doceatur WESENB. Lib. I. cons. 48. n. 45.  
 Præsertim si formæ aliquia solennitas de jure gentium  
 requiratur, ut hic in alienatione partium imperii con-  
 sensus ordinum sive Procerum, qui ideo necessarius, ne  
 alienatio domanialium tendat in præjudicium subditorum,  
 qui alias tenerentur Principi & domino immediato  
 domanialium servire, & utique præstare subventiones &  
 collectas in casibus concessis, & sic efficerentur  
 Vasalli duorum, cum primo essent solius Principis, ser-  
 vire autem duobus magni est præjudicium, utilius por-  
 ro est & dignius potestati Principis, quam minori &  
 debili subjici. MENOCH. d. cons. 426. n. 10. 22. Præsertim  
 quod subditi inferiorum dominorum durius interdum  
 ab iis habeantur, & tractari soleant, plerumque quam  
 domaniales, ut pluribus deducit NÆVIZ cons. n. 102.  
 THOMING. cons. 32. n. 33. Sicuti vero Princeps non  
 potest præjudicium inferre Vasallo in bonis v. g. aufe-  
 rendo ei feudum sine culpa, multo minus in ejus per-  
 sona, quæ rebus dignior, eam subjiciendo alterius ser-  
 vituti. Cum enim Princeps suam acceperit potesta-  
 tem à populo, non poterit eam populo non consentien-

C

te

te vel in solidum vel ex parte in aliud conferre, præfertim dignitate, nobilitate & potentia minorem. ANTON. GABRIEL *in com. conel. Lib. 3. tit. de jure quia si non tollendo conel. 8. n. 15.* Quod vero ejusmodi alienatio in præjudicium certum, ac evidens damnum non solum statuum seu procerum, sed & subditorum tendat, extra dubium est, quia diminutis redditibus bonorum domania, quæ pro vita Principis & sustentanda republika inventa sunt, coguntur Principes ad bona subditorum calcata iustitia extendere manus, & tanto plus alii subditi præfertim diiores gravantur, quibus collectæ seu tributa majora imponuntur, & sic uni aufertur, alteri datur contra *l. 54. §. 1. ff. de furtis. NÆVIZ d. conf. 12. n. 64.*

## §. XIV.

Ex prædictis alia quæstio ex surgit: An filius successor donationem immodicam in domania libus à patre ministro suo propter bene merita quidem factam, sed quæ tendit in maximum principatus præjudicium revocare possit? Multi hanc quæstionem negative decidunt, putantes, quod filii successores in principatu donationes, quæ à parentibus ministris bene meritis & fidelibus in remunerationem officiorum factæ, ratas debeant habere. JOHANN OTTO TÆBOR *in tr. de oblig. success. in offic. C. 5. per tot. REINCK. de regim. secular. ecclæsiast. Lib. I. class. 3. c. 10. per tot. MATHÆVS CVRVIUS de Paetis Lib. I. c. 24. n. 42. seqq. c. 1. X. de donat. quoniam beneficium à Principe concessum debeat manere per cap. decet esse 16. de R. I. in 6to.* Unde inferunt Doctores Principem non posse ne quidem de plenitude

dine potestatis suæ facta revocare, aut primævæ investituræ contravenire, vel Vasallos feudo ab antecessore concessò privare **JVL CLAR.** §. *feudum qu. 59.* **REINCKING** d. l. n. 43. ibique citati. Defenditur vero illorum opinio sequentibus rationibus: (I) Quod quilibet rei suæ sit moderator & arbiter: (II) quod major libertas Principibus esse debeat in donando quam privatis. *L. 34. pr. C. de donat. l. 2. & ult. C. de quadr. praescript.* (III) quod ea, quæ in aliorum donationibus requiruntur, non observentur in donationibus Principum per l. penult. *de donat. inter virum & uxor:* & (IV) Ad impugnandam alienationem Principis quadriennium tantum concessum, *l. 2. & 3. de quadr. praescript.* Jam (V) Principem ex causa justa rem privati alicujus posse auferre & in alterum transferre *l. II. in pr. ff. de evit. l. 15. §. 2. ff. de R. V.* Hinc etiam (VI) contractus Principum vim legis habere dicuntur, praesertim (VII) si donatio sit facta propter merita, quia propter remunerationem receditur à regulis juris per ea, quæ copiose adducit **VASQV.** p. 1. *controv. Lib. 1. c. 4 n. 1.* quo casu (VIII) donatio si minimi pretii sit in domanialibus, etiam absque omnibus solennitatibus subsistat, quas persona & praesentia Principis omnes supplere dicitur in *L. 19. C. de testamentis.* Praesertim (IX) quod successor in principatu sit haeres patris & concedentis, qui factum defuncti praestare debet, nam ad praestandum factum defuncti non tantum privatus quilibet haeres tenetur, sed etiam in principatu successor praedecessoris factum custodire debet, in primis qui jure sanguinis succedit per *l. digna vox 4. ibi: quod nobis licere non patimur*

*C. de legibus*, in specie, si (X) donatio à domino alienatore sub clausula: ex certa scientia pro se hæredibus & successoribus facta, cuius clausulae hæc vis est, ut, quod ex certa scientia se fecisse dicit Princeps, censeatur fecisse ex plenitudine potestatis, *arg. L. 57. §. 1. ff. de rit. nuptiar.* quæ etiam tollit allegationem vitii subscriptionis, præsertim (XI) si donationi sit addita, quod sit facta proprio motu, vel (XII) cum additamento, *bey Fürstl. Würden und wahren Worten*, quæ promissio comparatur juramento, præprimis si (XIII) donatione facta sit ex necessitate. Necessitas enim legi non subjacet, & ex illico licitum facit, nec non dispositiōnem juris communis suspendit.

#### §. XV.

Nobis vero, non obstantibus istis plausibilibus & in superficie multum apparentibus ratiociniis, contraria sententia placet, non solum propter jam allatas rationes in §§. præcedentibus, sed etiam ex adhuc recensendis argumentis: (I) Quod respectus Principis per ejusmodi donations immodicas magis magisque lædatur, ideoque tanquam inofficiosæ & immodicæ per facile revocari possint *arg. t. C. de inoffic. donat.* Et si enim (II) liberalitas non minima sit inter regias virtutes, quæ Principi laudem & amorem conciliant, *nov. 7. c. 2. §. 1. ff. nimius &c.* Illa tamen, ut cum selectu & modo fiat necesse est. Quodsi non factum, Princeps illæsa conscientia revocare potest, *per cap. fraternit. X. de donat. cap. intellect. ubi canonistæ X. de jurejurando JOH. à SANDE de prohibit. rerum alien. C. 6. X. 16. ENENCKEL de privilegiis Lib. 3. C. II. n. 41.* & nimias magnatum largitio-

gitiones tanquam inofficiosas vel ab ipsis Principibus vel à successoribus sublatas & retractas fuisse, compluribus ex antiquitate pariter & recentiore historia exemplis deducit MYLERVS in nomol. c. 16. n. 2. seq. ARNISSEVS de jure maiestatis Lib. 1. c. 7. n. 8. THOLOSSANVS Lib. 1. de rep. c. 20. HVGO GROTIUS de Jure belli & pac. Lib. 2. c. 14. n. 12. Etiam si (III) donationes domanialium non uno sed diverso tempore sint factæ. Primæ enim donationes non debent distrahi ab ultimis, quia Camera est quid individuum, & unitas causæ efficientis concernit actus omnes suos. ALEX. TRENTAC. var. resol. 3. t. de donat. res. 4. n. 5. LVCAS de PENNA in l. 2. C. de omni ag. deserto. Præsertim (IV) quod aulici ministri Principem sub praetextu magnorum reddituum cameræ ad ejusmodi donationes commovere sciant, quamvis in veritate multo minores sint. Hisce præsuppositis in hujusmodi contractibus deficere videntur tres isti comites: Consensus, Justitia, & Aequitas naturalis, quibus deficientibus, quicquid agitur, circumventio magis, quam conventio nuncupatur, quod summe notandum esse censemus, inquit saepe laudatus Dn. MYLERVS in tr. d. c. 15. n. 1. contra hosce aulo-politicos, qui primates apud Principem ita constringunt, ut non concedenda tribuat, & ob id principatum ejus magis donationibus, monopolii, aliquique artibus de populando immensos patrimonii redditus comparaverunt. Contra hosce aucupatores Principem successorem optimo jure repetundarum agere, & elargita revocare posse & debere censemus p. l. 1. ff. ad L. Jul. repetundar. l. 1. C. de pet. bon. subl. Quæ omnia fluunt (V) ex thesi supra

C 3

fatis

satis comprobata, bona ejusmodi domania sive Cameralia non esse in bonis Principum, sed in patrimonio Ducatus, & immo penes dignitatem principatus domani proprietatem remanere, quod ipsum hodie usitatum Imperii Romani stylum arguere refert REINCKING, idcirco docent Doctores, Principem eorum dominum non esse sed administratorem. WESENB. conf. 148. n. 194. DÖRING in Biblioth. Jurisconf. verb. Administrator p. 603. BARTHEL de la CÆSAS in questione: Utrum reges & Principes jure aliquo & salva conscientia cives & subditos à regia corona alienare possint. Jam vero (VI) ususfructarius ejusmodi bona alienare non potest, sed solummodo ad suum usum conservare l. 9. de usufr. & ibi Doctores, immo nec ipsum usumfructum in alium transferre potest. §. 3. f. de usufr. L. 66 ff. de jure dotium. nec, si id fieri, cum magno territorii sui praedium ob superius allegatas rationes, hujus quidem exercitium, quod alias quidem ususfructarius alteri cedere potest, sed nec ultra vitam suam l. 8. §. f. C. de peric. & comm. rei vendit. & tradit. l. 12. & 38 ff. de usufruct. SCHÜZ. Exerc. Jur. 6. Th. 23. ideoque si alienatio domaniale in perniciem Reipublicæ facta, ista invalida immo & ipso jure nulla est. HYGO GROTIUS Lib. 2. de Jur. belli & pac. c. 12. §. 4. ad quod (VII) hoc addendum, si quo casu contractus incipiat vergere non ad damnum modo aliquod, sed ad perniciem publicam, ita ut ab initio contractus in extensione ad illum casum censendus fuisset injustus & illicitus, tum non tam revocari eum, quam non ultra obligare, quasi factum non sub conditione, sine qua juste fieri non potuit. CASP. ZIEGLER.

de

*de jur. majestat. diff. 1. apb. ult.* quo in casu (VIII) non valet alienatio s. donatio, etiam si juramento confirmata *cap. 33. X. de jurejurando.* Vergit enim tale juramentum in perniciem publicam, unde non est obligatorium, utpote comite justitia destitutum, *cap. cum contingat X. de jurejurando c. 2. de paet. in 6to SETSERVS de jurament.* *Lib. 2. c. 10. per rot.* Juramentum enim non debet esse vinculum iniuritatis *C. 10. X. de jurejurando.* Plures rationes demonstrantur in resolutione argumentorum in contrarium adductorum.

## §. XVI.

Opposita ut nunc resolvantur argumenta, quae habentur supra in §. 14. hujus dissertationis ad primum resp. limitando, nisi haec potestas à jure sit limitata & restricta, vel aliud placuerit inter contrahentes. Ad secundum resp. quod omnino major esse debeat principum liberalitas, si donent scilicet sua, non si donent aliena, sive ad alterius jus pertinentia, praesertim si pertineant ad jus reipublicæ. Nam tunc multo remotor esse debet Princeps ab hujusmodi facultate sive licentia donandi, quam sit quilibet privatus. Quo enim quisque in excellentiori gradu constitutus, eo magis ad virtutem colendam tenetur, siveque eo magis ad contrarium, qualis est injuria impeditus esse debet. FERDINAND. VASQ. in pref. Lib. I. de progress. succesi. n. 19. Ad tertium resp. quod in donationibus Principum non requirantur, quae in donationibus privatorum observantur, illa omnia ex eo fluunt, quod Princeps solitus sit legibus scilicet mere positivis & civilibus, sed legibus juris gentium & pactis Principem

pem minime esse solutum plerique tradunt VASQ. Lib.  
*i. controv. C. 26. n. 16.* ubi testatur, hanc esse communem opinionem, ideo in donandis dominalibus tanquam re aliena minor principi libertas esse debet, quam privatis, quia major Principis debet esse justitia, quam privati, GAIL. 2. obs. 56 n. 12. Ad quartum resp. totus titulus *de quadrieni. præsc.* loquitur de bonis vacantibus, atque adeo de talibus bonis, quæ ad fiscum ita devolvuntur, ut sint in patrimonio Principis, quæ patrimonialia iuste censentur, ac ad ærarium Principis privatum non vero publicum pertinent, atque de bonis vacantibus fisco nondum incorporatis allegatarum legum sermo tantum est. Ad quintum resp. negando, quia Princeps à Deo jurisdictionem habet, & Deus non dedit ipsi neque Petro nec ejus successoribus licentiam peccandi, ideo contrarium receptum est, ut sine causa jus tertio adimere non possit etiam ex plenitudine potestatis. GAIL. 2. obs. 56. n. 6. sive dominium aut jus alter habeat jure gentium sive jure civili. Cum dominium etiam medio juris civilis acquisitum sit de jure gentium, similiter etiam ad allegatam *l. 15. ff. de R. V.* respondendum. Et si jus tertio auferre posset, non tamen posset jus alteri ex suo contractu quæsumum auferre, quia in contractibus cessat plenitudo potestatis DECIVS conf. 410. n. 22.

## §. XVII.

Ad sextum resp. hoc est de contractu perfecto & licito non prohibito intelligendum, quando scilicet observantur ea, quæ jus naturale & gentium requirit, quia verba in dubio intelligenda sunt cum effectu *l. 1.*

§. Hæc

*§. Hæc autem verba ff. quod quis juris in alterum.* Ad se-  
ptimum resp. Et si adsit iusta causa scilicet meritorum  
remuneratio, tamen hoc non aliter locum haberet, nisi  
Princeps aliter remunerare non possit, quod prius pro-  
bandum, si enim hoc in casu standum esset assertio-  
nem donantis, semper posset eludi prohibitio legis, atte-  
stante donatore à donatario decepto, merita prædecen-  
sisse, atque adeo fraus solet præsumi, cum tamen ne-  
que ex causa pacis Princeps alicui jus suum auferre  
possit, nisi quando aliter pax nullo modo haberi potest.  
*MENOCH. cons. 426. n. 14. seqq. NÆVIZ d. cons. 12. n. 92.*  
& quidem ita, ut possessori pretium restituatur *L. 13. §.*  
*51. constat ff commun. prædior. p. l. 2. C. pro quibus causis*  
*servi pro præmio libertatem accipient.* Ad 8vum resp.  
quamvis de minima re, quæ non infert grave præjudi-  
cium principati, Principem disponere posse nonnulli  
statuant; non tamen id sit propterea, quia jure facit  
Princeps rem minimam alienando. Nam quod meum  
non est, ejus nec exiguum partem alienare mihi fas est.  
Et eadem ratio totius quæ partis, sed quia excusati  
peccat, rem minimam alienando, quam si magnam in  
grave principatus præjudicium alienaret, & quia in re-  
bus modicis facilius, quam in magnis confensus vel  
populi vel procerum ex scientia & silentio præsumitur.  
*HUGO GROTIUS de jur. belli & pac. Lib. 2. c. 6. n. 11.* Ad  
9num resp. Hoc est intelligendum de contractibus, qui  
consensum, iustitiam, æquitatemque naturalem comi-  
tes habuerunt. *NÆVIZ d. cons. 12. n. 30.* Nemo vero potest  
imponere legem successori dignitatis vel officii, vel im-  
perii, ratio, quia par in parem non habet imperium,

D

ideo

ideo lex Principis non ligat successorem, alias si contractus est invalidus, aut forte inofficiosus, heredi etiam contravenire permisum, uti probatum in §vo 15. nostræ dissertationis.

§. XVIII.

Ad iomum resp. ista clausula nullum effectum habet, quando Princeps sine cause cognitione & parte non citata procedit, præprimis si tendat in præjudicium tertii, sed error, qui est in principali obligatione, potest etiam in hac clausula esse. Hinc venit, quod neque prædicta, nec clausula proprio motu, vitium subreptionis tollat, nec alios effectus habeat, quando agitur de præjudicio tertii ROLAND à VALLE Vol. 3. conf. 7. n. 114. NÆVIZ d. conf. n. 145. quando enim Princeps non habet liberam de re aliqua disponendi facultatem, prædictæ clausulæ vitium subreptionis non tollunt, neque inducunt dispensationem in casibus prohibitis aut defectibus rei. ANTON. GABRIEL de clausul. concl. 2. n. 22. GEMINIANVS in C. si motu proprio 23. n. 5. de Prebendis & dignitat. in 6to. Ad iuum resp. de hoc varie adhuc disputatur, & distinguitur, imino si donatio mediante jura mento de non revocando sit facta, tamen tanquam illicitum non erit servandum, uti demonstratur in §vo 15. nostræ dissertationis, quia hoc in casu prohibitio legis fundata est principaliter super bono publico, contra quod juramentum in contrarium non est obligatorium. VRANIVS in cap. cum contingat X. de jurejurando. Paetis siquidem & juramentis juri publico derogari non potest. L. Jus Publicum ff. de paet. Ad i2num resp. quod donationes ex necessitate non fiant.  
Donari

Donari enim videtur, quod nullo jure cogente atque ita ex nulla necessitate conceditur. *L. 82. ff. de regul. jur.*  
*& l. 29. ff. de donat.* atque ideo propter nullam etiam aliam causam sit donatio proprie, quam ut donator liberalitatem & munificentiam exerceat. *l. i. in pr. ff. de donat.* Quin immo si summa ac stringens fuisset necessitas, non potuit tamen cum aliquorum tantum subditorum praetudicilio alienatio domaniale fieri, sed omnium expensis & labore ac collectis provideri *VASQ.*  
*Lib. i. de success. resol. §. 3. n. 21.* Quum etiam juris indubitati sit, quod casus necessitatis omnino sit probandus, quia nec Principi de tali casu, qui vergere potest in praetudicium tertii, credi debet, multo minus privato alleganti necessitatem.

### §. XIX.

Licet vero ex hac tenus deducatis satis evincatur, quod bona domania alienari non possint, exinde tamen non sequitur, quod Princeps revocans bona domania ab antecessore alienata vel via facti vel per nudum rescriptum sine causae cognitione istorum possessores possit à possessione dejicere, quia rescripta ad jus commune reducenda. *GAIL. 1. obs. 33. n. 6.* nec extendi debent ad ea, quae facere Princeps haud potest nisi ex potestate absoluta, quoniam rescripto nudo Princeps non videtur alicui possessionem auferre velle. *GAIL. 2. obs. 76. n. 9.* Princeps enim bonus à bono patre nihil differt, & est communis patriæ & omnium pater, ideoque subditos suos diligere ac tueri debet, & quicquid facit, juste facere præsumitur, & semper fortissima pro eo militat præsumtio, donec contrarium probetur. Huic vero

vero maxime contrarium erit, vel via facti vel vi plenitudo potestatis durch einen Machtvruch alicui possessionem auferre, quia ista plenitudo potestatis manifeste fines justi imperii excedit, & jure naturae prohibita, cuius intuitu, Princeps ipse privatus est, nec illud immutare potest. §. penult. *Inst. de jure nat. Gent. & Civil.* Vix enim est, ut in Principe legitimo dari possit plenitudo potestatis, quæ quicquam differat, aut distet ab ordinaria potestate. *ZIEGLER de jur. majestat. Lib. 1. c. 4. n. 13.* & ab eo allegati *VASQ. & FRANCK.*

## §. XX.

Equidem statuunt nonnulli, quod nec Princeps litigare debeat depositionis in his, quæ ad dominium pertinent, inter quos sunt RENAT. CHOPPIN. *Lib. 3. de Dom. Franc. t. 10. & POPONIVS Lib. 5. Arrest. 2. 1. arrest. 9.* ex ratione, cum bona illa alienari non possint, adeoque id, quod nullum est, effectum nullum parere nec dominii possit nec possessionis, quippe nec operie exceptionis defendi ac retineri queat. P. COSTA *ad l. 26. ff. de donat. inter virum & uxorem.* Cum vero possideri illa nisi à Principe non possint, cessare ea videntur, quæ de commodo possessionis obvertuntur, veluti quod possessio titulum edere non teneatur, quin potius edere illum tenebitur, sub poena transferendæ possessionis eo quod jus ei resistat ROBERT LANCELOT. p. 2. *de attent. lit. pend. decl. 4. n. 34. seqq. GOTHMANN resp. 55. n. 75. usque 95. MEVIUS p. 1. dec. 102. n. 12. & 3. dec. 205. n. 8.* Sed fatis est, quod domania ad Principem pertineant, & sententia facta declarata sit, nec tollitur per hoc defensio, ubi nulla subest. CHRISTIN. *Vol. 1. dec.*

*dec. 88.* ubi ita in suprema Curia Mechliensi judicatum esse ait, daß ein Gut ohne weitere Erfährtung eingezogen, und anderwerts ausgethan worden.

## S. XXI.

Sed huic opinioni non adstipulamur, præprimis si possessor longo tempore fuit in quieta possessione dominalis, cum eo ipso, quod possidet, jus suum in possessorio pro se habeat, quo de facto & inauditus non est privandus. sive juste sive injuste possideat. *L. f. D. de acquirend. possess. l. f. C. de R. V.* sed plus juris habet quolibet alio eo ipso quod possidet. *l. 2. ff. uti possidentis*, nec titulum edere tenetur possessor, quia hoc communum possessionis est, *l. 2. C. de probationibus l. f. C. de R. V.* cum ne quidem in reservatis Principis, qui ultra memoriam possidet, modo habilis sit ad ea possienda, titulus edendus sit. *THESAVR. p. 2. qu. 27.* sed tunc demum Vasallus titulum edere domino debet, quando super directo dominio, jure, aut finibus rei feudalis quaestio erit, alias non *ROLAND à VALLE p. 3. conf. 66. n. 21. seqq.* quia possessores in feudis antiquis justam ignorantiae presumptionem habent, adeo ut si Vasallus saltim triginta annos possederit, ab eo titulus exigi non possit. *SCHRADER p. 4. de feud.*

## S. XXII.

Nec obstat allegatus *CHOPPINVS & PAPONIVS*, qui tantum scripsit de jure regni Francie, quorum tracta ad jura imperii vel principatum Germaniae indistincte non veniunt applicanda, præprimis cum ipsi met testentur Doctoribus à se allegatis plerisque probari, privatum lite pendente in possessione tuendum esse,

esse, quamvis illis non assentiantur: sed pro uno fundamento habent jus regis sui, ipsimet vero adhuc limitationes: si summatim evidenter docere potuerit, rem domanialem esse, & nisi maxima & æquisimma ratio prævaleat. Quamvis PAPONIVS se tantum referat ad casum nunciati operis, ubi regia possessio confirmata fuerit, reservato damnum petenti petitorio. Uterque vero allegarunt præjudicium, ubi in dubio, an dominium Montagi ad fiscum regium an ad possessorem d'Alençon pertineret, regis apprehensa possessio cassata & comiti possessio ejus provisionaliter salvo regi petitorio restituta fuit.

### §. XXIII.

Quod præjudicium nititur prægnantibus juris rationibus, cum & sœpius bona menœ five domanialia cum aliis, quæ à Principe profecta, vel ex bonis fiscalibus ipsi debentur, & bonis domanialibus nunquam incorporata sunt, confundantur, ideo quilibet judex si de facto procedat, pro privato & spoliatore habetur. WESEN. p. 1. cons. 1. n. 46. MARBURG. p. 2. cons. 10. n. 108. ita, ut spoliatus restitui debeat, nec plus juris summo competit Principi, qui nec injustam possessionem ipso facto causa adhuc incognita alicui auferre potest. CARPZ. p. 3. dec. 220. n. 16. MENOCH. rec. poss. 8. n. 8. hinc contra Principem subditus etiam in possessorio summarissimo omnino est defendendus, & in possessione manutenendus juxta WERNHER. Tom. 2. p. 8. obs. 439. p. 416. Ne igitur Princeps judex fiat in propria causa debet constituere advocatum fisci, qui ut in aliis causis privatorum cum possessore domanialem ordine

ne

ne juris servato jura Principis ventilare & ad decisio-  
nem judicum peregrinorum submittere debet. *l. un. C.*  
*ne quis in sua caus. ZIEGLER. Concl. 12. Dic. §. 16.* idque  
evincitur ex jure fisci, qui in ejusmodi casibus fortius  
jus prætendere nequit juxta *l. 7. C. de jure fisci l. 3. C. de*  
*bonis vacantibus*, adeoque titulum fisco edere possessor  
non debet. *L. 25. ff. de jure fisci*, quamvis instrumenta  
edere quis fisco debeat, in causis exemptionum. *GAIL.*  
*I. obs. 106. n. 11. Lex autem 2. §. 2. de jure fisci* non nisi in  
subsidiū procedit, aliās vero nec fiscus privilegiatus  
esse præsumitur, sed jure privatorum uti debet, nisi  
quid singulare probet; Quapropter in causis altiorem  
indaginem requirentibus fiscus ordinem juris servare  
& ipse tenetur, atque reo servari debent beneficia juris  
competentia, ita ut pendente judicio in sua possessione  
non turbetur. *L. 7. C. de jure fisci l. 5. C. de delationi. l. 2.*  
*C. de cōveniēndis fisci debitoribus. MEVIVS p. 3. dec. 102.*  
*n. 6. 7.*

### §. XXIII.

Si vero alienatio domanialium à prædecessore ju-  
ste & legitime, neque contra imperii formam celebra-  
ta, neque limites connexæ potestatis excedat, à succe-  
fatore principatus omnino servanda erit, neque à recta ratione  
hoc alienum esse putamus per ea, quæ egregie  
de hoc arguento ratiocinatur. *HVGGO GROT. de J. b.*  
*¶ pac. Lib. 2. c. 14. §. 10. usque ad fin. HVBERVVS*  
*de jur. civitat. Lib. 1. Sec. 9. c. 5. §. 53. ¶ 72.* notanter  
diximus, justa & legitima, hoc est formulae imperii non  
adversa, sed quæ facta (I) in utilitatem, commo-  
dum, usumque Reipublicæ. *GROT. d. l. §. 11. 12. ibi: sed*

E  
sum

tum ita obligatur successor, si antecessor probabilem habuerit rationem. PYFFENDORF Lib. 8. c. 10. §. 8. Trahunt huc regulas juris de in rem verso, unde enim commoda accepit principatus, inde etiam ut onera ferat par esse, eidemque sententiae plenia manu se subscriperunt CARPZ. decis. illus. 88. n. 13. PEREGRIN. de jure fisci Cap. ult. n. 22. ita JOHANN à SANDE de probib. rerum alienatar. l. 6. n. 22. ista utilitas vero non aestimanda est ex eventu, sed ex consuetis suscepti operis rationibus. Deinde utilitas non sordidie quaerenda, sed etiam ratio habenda decori & dignitatis: Sic etiam illud in utilitate ponendum, si nubeculæ dispulsaे futurorum periculorum, quorsum pertinent, quæ habet CRAVETTA conf. 404. n. 21. 22. Quamvis hic negare non possimus, quoties cum Principe agitur, eo magis sunt periculoſa, quod plurimumque ibi umbræ juris aut prætextus regnent, sufficiantque ad decidendum pro imperante. Itaque judicium in propria causa sit expectandum, idque vel ab ipso Principe vel ab ejus ministris, quorum non minus interest, ne ille causa ejus generis cadat.

#### §. XXIV.

(II) Dicitur alienatio legitima & justa, si facta ordinum provincialium consensu, & quidem pleno & aperto; nec minis nec poenis coacto: Verba BRVNNE-MANNI conf. 1. n. 136. ita sunt concepta: Ist auch denen Rechten gemäß, wenn schon ein Reichs-Fürst bey Austritt der Regierung gegen die Land-Stände sich nicht reserviret hätte, daß dennoch welche wichtige Sachen seyn mit denen Lands-Ständen zu überlegen und zu communiciren. GROT, de J. b. § pac. c. 6. n. 9. CVNO Lib.

*Lib. i. de paci. c. 24. n. 99.* Quamquam possessio domini-  
nialium in hoc juris argumento etiam providus esse de-  
beat, ut formulam ante probe aestimet principatum,  
quia multa Germaniae territoria versa sunt in alium sta-  
tum, quando ordines societatem juris & dominii pro-  
vincialis amiserunt non usu, delictis & criminibus,  
sponte facta renunciatione, causisque aliis generis ejus-  
dem.

### §. XXV.

(III) Dicitur alienatio justa, quae obligat successo-  
rem, quando facta est ex officio, & dignitate principa-  
li. Audiemus ipsum BALDVM opinionis patronum &  
forte autorem, ita autem in *conf. 159. n. 3. 4.* differit ille:  
*Imperator in persona mori potest sed ipsa dignitas, officium,*  
*imperium, est immortale: sicuti pontifices moritur, non pon-*  
*tificatus, cuius sedes aeterna. Quae faciunt itaque reges no-*  
*mine non suo sed regni i. e. gentis sue illa obligant gentem,*  
*& Principem ejus successorem, nisi laderent facta, ipsum*  
*regnum &c.* Cui addi possunt SCHRADER *conf. 3. n. 399.*  
*conf. 9. & 110. n. 14.* VVLTEJVS vol. 3. *conf. 35. n. 116.*  
CARPZ. *decis. 88. n. 12.* Tales enim conventiones non  
tani in personam quam in rem sunt contractae adeoque  
dispositiones magis reales, quam personales esse cen-  
sentur, præcipue si pro bono pacis initæ sint. JOH. OT-  
TO TABOR *de obl. success. in off. c. 5. n. 3.* Sed hoc etiam  
potest esse periculosum, quia dignitas Principis nequit  
præfiniri eadem omnibus, quapropter id curare debet  
imperans, ne apparatum luxumque adfectet rationibus  
Reipublicæ adversum atque molestum. Si enim ordi-  
nes Principi adsignarunt redditus certos, unde alat rei

judicariæ & curialis administratos, quod in principati-  
bus sit quam plurimis, ibi certe, si formula regni ita sit  
adducta, Princeps quamdiu status Reipublicæ est ordi-  
narius, illis debet acquiescere, neque sub prætextu  
dignitatis onerare ulterius Rempublicam. Alia vero-  
ratio, quando Princeps pro bono pacis alienaverit do-  
minalia, hoc enim successores in dignitate obstringit,  
tum, quia in his causis concernentibus non solum pu-  
blicam utilitatem sed & dignitatem, non tam Princeps  
quam imperium per Principem contrahere censetur.  
TREVTLER p. 1. D. 6. Th. 7. Quando enim belli rationes  
viresque hoc urgent, vel quæ Reipublicæ contingunt  
extra ordinem, alios omnino hic limites exigit necessi-  
tas.

## §. XXVI.

(IV) Alienatio potest esse justa, quæ fit propter  
necessitatem summam MENOCH. d. conf. 426. n. 35. Ne-  
cessitas enim legi non subiacet & dispositionem juris  
communis suspendit. l. 8. C. de testam. Unde & necessi-  
tas à furti crimine excusat, quia tempore necessitatis  
omnia sunt communia, & nemo tunc rem alienam con-  
trectat, hinc etiam prohibitus alienare, necessitatis ta-  
men casu potest alienare. p. l. 13. ff. famil. ercise. unde  
& bona restitutio subjecta ex causa necessaria possunt  
alienari. aub. res que ibi BRVNNE. C. commun. de lega-  
tis & nov. 39. c. 1. Sed & in hoc argumento multum pe-  
riculi contra possessorem intricari potest, quia prædicta  
tantum de hoc casu intelligenda, quando non potuit  
aliter provideri necessitati, & pecunia aliter haberri non  
potuit ac si apparet, quod non fuerint alia, quæ vendi  
po-

potuerunt, ut subveniretur necessitati, & tantum solummodo fuisset alienandum, quantum urgens necessitas requisivisset. p. L. ult. inf. ibi: *multo tamen major pecunia ff. de Exerc. act. l. 40. ibi: eatenus ratum est, quatenus ff. solut. matrim.* BALDVUS vol. 1. conf. 332. n. 3. & vol. 2. conf. 20. in f. ibi: *usque ad modum congruum.* De hoc nonnunquam periculo argumento scribit eleganter CLAVDIVS SEISELLIVS Lib. 1. de Republ. necessitatem alienandi multa senatus deliberatione curiose examinari, & tamen propter incertitudinem venditionis paucitatem, earum rerum sibi aliquid emendum & subeundum periculum putant. Videlicet in his talibus, licet quid valde sit justissimum, tamen facile est, ut dubitationem recipiat, ut in nov. 44. c. 1. habetur. Hæcce de materia alienationis domianialium à successore in principatu revocabili Inauguralis Dissertationis loco scripta sufficiant. SOLI DEO sit Laus & Gloria sempiterna pro viribus ingenii elaborationi hujus Disputationis ACADEMICÆ benignissime concessis!

F I N I S.

NO-

NOBILISSIMO ET CLARISSIMO  
DN. DOCTORANDO  
S. P. D.  
D. RUDOLPH. CHRISTOPH. Henne,  
P. P.

Legis vestigia majorum TVORVM & Avitarum & Paternarum  
virtutum & scientiarum non degener amulus monstras, verum  
esse, quod in Laudem DRVSI olim cecinit HORATIVS:

Fortes ercantur fortibus & bonis  
Est in juvenis, est in equis Patrum  
Virtus, nec imbellem feroes

Progenerant aquila columbam.

Quare præclara ingenii & judicij TVI indole ita usus es, ut tempus  
in Academias hic usque consumatum optime collocaveris, ac nibil tibi  
prius, nibilque antiquius habueris animo scientiis & artibus pro-  
be subacto & excuto. Cum vero præstantissima ingenia non in ob-  
scuro consenescere, sed altiora non immerito appetere soleant, sum-  
mos in utroque jure honores merito ambis, & specimenis TVI in-  
auguralis proprio Marte elaborati desponsam sine Praefide (quod  
multi reformidare solent) suscipimus. Gratulor itaque TIBI hisce  
egregios conatus, in votis habens, ut Gradus Doctoralis mox TVB  
conferendus maxime felix & faustus sit, simulque merita TVA con-  
dignis prosequantur praemitis, quo fieri, ut non solum virtutum &  
scientiarum sed etiam dignitatum Avitarum & Paternarum parti-  
cepis factus fueris. Dabam Erfordia d. XVII. Martii M DCC ALLI.








**ULB Halle**  
005 355 400

3







Pub. 13. num. 28. *Pub. R. 10.*

1742, 1a

DISSERTATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA

DE  
**PRINCIPIS SVCCES-  
SORE DOMANIALIA SIVE  
CAMERALIA AB ANTECES-  
SORE ALIENATA, JVRIS  
ORDINE SERVATO,  
REVOCANTE,**

*QVAM*  
IN ILLVSTRI ET PERANTIQVA VNIVERSITATE  
ELECTORALI HIERANA,

**SVB PRÆSIDIO ALTISSIMI,**  
CONSENSV  
ILLVSTRIS FACVLTATIS  
JVRIDICÆ

PRO CONSEQUENDIS IN VTRQVE JVRE  
PRIVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS  
DOCTORALIBVS

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI

D. XVII. MARTII A. MDCCXLII.

PUBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITT

KENFRED  
UNIVERS.  
ZVHALLE

AVTOR  
**WILHELM GOTTLIEB JACOBS,**  
GOTHANVS.

ERFORDIAE, Typis HERINGII, Acad. Typogr.